Toryani Joan. Cantii: Quaestio iuridica de notariis publicis.

2826 Seuvo.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO JURIDICA
DE NOTARIIS PUBLICIS.

Ex c. Scripta. c. Inter dilectos De fit: instrum: c. Ad audientiam. De rescript: c. Licèt. De fals. c. Cùm olim. De privileg: c. Cùm Venerabilis. De religios: domib: §. Nos autem. Auth: De Tabellion: Collat: 4 Clem: Sæpe. De V. S.

DEPROMPTA

Sub Felicissimo Regimine

Magnifici Perillustris Clarissimi & Admodum Reverendi Domini

D. M. CASIMIRI STĘPŁOWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, ejusdemq; Facultatis PROCANCELLARII, ET Collegii Majoris SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum Collegiatarum, S. FLORIANI Clepardiæ ad Crac: DECANI, in Summo Posnaniensi CANCELLARII, SS. OO. Crac: ac Parochialis S. JACOBI Casimiriæ PRÆPOSITI, Ordinandorum & Approbandorum Examinatoris Synodalis, Librorum per Diæcesim Crac: Ordinarii Censoris, Seminarii Episc: Acad: Diæcesani, PRÆFECTI, Contubernii Sisiniani, & Alumnatûs Roszczeviani PROVISORIS, Studii Generalis Universitatis Crac: Vigilantissimi

RECTORIS.

Pro loco in Collegio CC. DD. JureConsultorum Almæ Universitatis Cracoviensis obtinendo,

per

M. JOANNEM CANTIUM TORYANI,

Utriusq; Juris PROFESSOREM, Ecclesiarum, Collegiatæ SS. OO. Crac. CANONICUM, Parochialis in Gorka Curatum, in Cathedrali Crac. Dominicalem Ordinarium Concionatorem, Publicum Sacra Authoritate Apostolicâ Notarium.

In Lectorio Collegii Juridici Cracoviensis Publicè ad disputandum

PROPOSITA.

Annô Domini 1768. Die Lunæ 5. Mensis Decembris.

SANCTO
JOANNI CANTIO,

in Universitate Crac: Sacræ Theologiæ

DOCTORI,

Regni Poloniæ, ac M. D. L. Primario & Principali

PATRONO,

â

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTE

Ejus Nominis PAPA XIII.

Annô immediatè elapsô,

In SANCTORUM Numerum

RELATO.

Tum:

DIVINISSIMO

IVONI

Optimo Jure Consultorum MAGISTRO,

Jure Clientalis Devotionis Author.

D. D. D.

PArcite, rogo. o SANCTI PATRONI! *Clientali devotioni, quæ sese* VOBIS *in hacce brevi pagella explicat. Minor quidem præsens oppella est, quàm* VOBIS *offerri debeat, ex quo tamen Notam Filialis gratitudinis præsefert, acceptare eam, obsecro, non dedignemini.* TIBI o CANTI! *initium vitæ meæ, ulterioremq́ illius, etiam jam in Statione Academica cursum;* TIBI, o IVO! *favorabilem in Facultate Consultissima protectionem me debere fateor, Vestro, o* SANCTI PATRONI! *patrocinio gestarum ad usq́ gerendarumq́ in post mea negotia rerum attribuo, officium itaq́ Clientalis obligationis de cordis profundo proveniens reddo. Juridicam Quæstionem* VOBIS *dedico, non immeritò; quorum Alter jura Nostræ Universitatis tuendo, contra iniquos eorundem impugnatores Juridicam propugnationem* (*) *fecisti; Alter Generalis Auditor, æquissimusq́ Judex, Advocatus pauperum effectus, abdicatô honorificô Officiô, ùt eò liberiùs egenis inservire posses,* TE

 totum

totum in patrocinium orphanorum spontè dedisti, pro communi habens illum modum loquendi: Nescitis, o Jurisperiti! quàm sit bona pauperum causa. *De Publicis Notariis inscriptam Quæstionem* VOBIS *offero; Quorum rectègesta, ac continui pro DEO labores Acta publica merentur, ac aureô (ùt ajunt) lapillô notari digna. Res à* VOBIS *pereximiè gestas in hanc pagellam non refero; patent hæ Cælo, patent hæ terris, quæ quàm fuerint meritoriæ, colligendum exinde, quod* Libro *vitæ inscriptæ, ac jam Cælestibûs Laureolis coronatæ.* (*) *Theologus alter, Jurisperitus alter, Scientiarum inter se connexarum Doctor Uterq; hinc ego pro Loco in Domo Juridica obtinendo respondens, per oblationem præsentis libelli* VESTRUM *in subsequenti operum tractu imploro auxilium. Subscribite ergo votis meis, annuite petitis, fávete cæptis, non respuite Clientalem devotionem, se se in hacce brevi pagella* VOBIS *explicantem, mihiq ulteriùs in Cracia Universitate laborare volenti, gratiâ Vestrâ assistite, ac imbecillibus viribus Cælestes benedictiones impetrate.*

(*) S. Joannes Cantius, dum viveret, Bonum suæ Academicæ Communitatis pro æquitate & justo zelo etiam in Foro Fori defendebat; quod colligere est ex Actis D. Joannis de Elgoth, Canonici, Vicarii, in Spiritualibus, & Officialis Generalis Cracov. die 2. Januarii, Annô Domini 1434 ibi: *Venientesq; horâ vesperarum Duo ejusdem,* (idest Collegii Artistarum) *Magistri, Joannes de Kęty, & Bartholomæus de Radoni, nomine Suo & aliorum certa privilegia & munimenta produxerunt.*

QUÆSTIO JURIDICA.

De NOTARIIS PUBLICIS.

Utrum Notarius; qui eſt Perſona Publica, illaq́; jurata, ſive Spiritualis, ſive Sæcularis, poſſit in omnibus, & ſuper omnibus inſtrumenta conficere? debeatq́; illi in omnibus adhiberi fides?

CONCLUSIO I.

NOtarius est Persona publica, illaq; debet esse jurata.

COROLLARIUM I.

ORigo Notariorum Publicorum deducitur inde, quòd dum primîs Ecclesiæ initiîs in Urbe Roma pro Christi Fide, inter crudeles Imperatorum persecutiones, fidelium, ac piarum personarum numerus quotidie augebatur, & quò magis illa sævitia debacchabatur, eò plures in dies varia tormentorum genera subire non pertimescebant; ne igitur tot, tantorumq; Virorum, ac Mulierum, eorumq; virtutum, quibûs hodie Christiana Religio resplendet, ullô unquam tempore memoria hominum mentibûs excideret; neve in posterum neminem quandoq; lateret, quônam pactô illorum pia gesta ubiq; gentium propagata fuissent, Clemens I. Romanus septem Urbis Regiones divisit septem Notariis, ut Martyrum res gestas æternis literis mandarent; quod postea Antherius Papa I. stabilius reddidit, quia occasione cujusdam Maximi, qui martyriô affectus fuit, curavit diligentissimè, ut gesta Martyrum conquisita, atq; per dictos septem Notarios descripta in Ærario Ecclesiæ custodirentur; ne memoria benè operantium simul cum vita amitteretur. Et sicuti Clementis & Antherii Pontificum fuit illa religiosa institutio, ita evenit; ut Successorum incuriâ intermissa, à Julio I. fuerit renovata, qui non solùm Martyrum gesta, sed omnia ad rem sacram pertinentia per eosdem septem Notarios literarum monumentis mandanda (*a*) curavit. Definitur Notarius Publicus, quòd sit (*b*) Persona Publica à Principe deputata, & Sacramentô obstricta, ut rationes & acta in formam publicam redigat. Dicitur Notarius à notando, quia notare debet, & fideliter in scriptis redigere omnia illa, super

(*a*) *Ciacconus, Platina, Cecchorellus in vit. Pontif. Polidorus Virgilius de Inventoribus lib. 4. Cap. 11. Iacobatius de Conc. art. 5. Num: 5. lib: 1. Joan: Sacchettus U. J. D. lib. de privileg. Prothonot. Apostol.* (b) *gl. in c. Scripta. Verb. Per manum publicam. De fide instrum.*

ſuper quibus ad fidem ejus recurritur. Alio Nomine vocatur (c) Tabellio *vel* Tabullarius, quia Veteres in tabula ſolebant notare, & ſcribere geſta. Item dicitur (*d*) Scrinarius, quia ſcripturas ſuas in ſcriniis ſuis debet cautè cuſtodire. Intelligitur quoq; per Manum (*e*) publicam, ex quo manus ejus publicam fidem habere debet. Dicitur etiam Servus (*f*) Publicus, non quòd ſit ſervus, cùm ſervus, utpote vilis perſona, non poſſit eſſe Notarius; ſed quòd ſit publica Perſona, cujus Officium eſt inventum ad publicam (*g*) utilitatem. Aliquando dicitur Scriba, à ſcribendo. Porro licetſi Notarius multiplices ſui denominationes habeat, hæ tamen diverſæ illius appellationes unum idemq; denotant, quia unum idemq; illius officium oſtendunt.

COROLLARIUM II.

Licetſi antea Notariatûs, ſeu Tabellionatûs Officium erat communis operæ & artis, ex quo Notarius ſerviat omnibus, qui ſervire debet æquè pauperi ac diviti; hinc de jure Civili Officium ejuſmodi, Officium dicitur, & non (*h*) dignitas; cæterum in moderna providentia temporis, Notarii, qui rectâ conſcientiâ, & publicô auctoramentô exercent officium ſuum, ſunt in notabili (*i*) æſtimatione, nam communiter creantur Judices (*k*) Ordinarii, quorum officium eſt (*l*) nobile, & ipſi Notarii reputantur (*m*) nobiles, attenta locorum conſuetudine.

COROLLARIUM III.

NOtarius ſuper calamo & atramentario ponens duos digitos

 jura-

(c) *c. Cum Tabellio. eod. & Auth. De tabellion. Collat.* 4. (d) *c. Ad audientiam. De præſcription. & ibi gl. v. Scrinarius.* (e) *gl. in d. c. Scripta.* (f) *l. 2. ff Rem pupilli ſalvam fore. junct. gl. v. Publicum* (g) *Reiffenſt. lib. 2. Decretal. tit. 22. De fide inſtrum. num. 8.* (h) *text in l. Univerſos. C. De decurion.* (i) *Capuccius in praxi judiciar. part. 2. Cap. 5. Art. 1. fol. 151.* (k) *Fagnan. in c. Quoniam. Num. 16. Ne Prælati vices ſuas &c.* (l) *Rota part. 1. Recentior. Deciſ. 297. Num. 4. & Ferraris in ſua Bibliotheca Verb. Notarius à num. 27.* (m) *Syntagma Opinion. Commun. tom. 4. cap. 15. fol. 68. & Ferraris loc. cit.*

jurare (n.) debet fidelitatem ei, à quo constituitur, idq; super sex istis articulis: I. Quia de his, quæ videbit & audiet, ac requisitus fuerit, fidele instrumentum conficiet, aliàs in casu, pro perjurò habebitur, neq; ejus instrumentis de cætero fides adhibebitur. II. Quia secreta sibi communicata servabit. III. Quia super usurario contractu vel alio quovis illicito non conficiet instrumentum. IV. Quia de omnibus instrumentis protocolla tenebit. V Quia fidelis erit illi, à quo constituitur, sive creatur. VI. Quia illud Officium ita sibi injunctum, non cupiditate, amore, odiô aut timore exequetur.

COROLLARIUM IV.

Ex quo Notarius sit Persona publica, (o) illiusq; officium talis, tantiq; ponderis sit, ut ex eo hominum negotia suscipiant (p) incrementum, ideo, dum quispiam in ejusmodi officio ab habente ad id potestatem constituitur, ut rectè hocce sibi commissum munus administrare queat, tria in illo requiruntur, quibûs deficientibûs ad talem Magistratum admitti (q) non potest. Et quidem requiritur in Notario I. Maturitas ætatis, quæ in Notario publico incipit ab Anno ætatis 25. inchoato, adeo; ut si ante illam creari quispiam in Notarium velit, dispensationem super ætate ab habente potestatem creandi, petere debeat. Maturæ ætatis necessitas in Notario colligitur ex eo, tum quia, Notariatus est publicum Officium; ad publicum autem Officium homo immaturæ ætatis eligi (r) non potest, etiamsi ante talem ætatem digna persona (s) reperiatur. Tum quia ars Notariatûs adinventa est ob publicam utilitatem & favorem; ut nempe per hancce artem fragilitatis huma-

(n) *Fagnanus in c. Sicut te. Num: 12. & 17. cum seqq. Nec Clerici vel Monachi. Ferraris loc. cit. num. 1.* (o) *l. Orphanotrophos. C. de Episc. & Cleric. l. Non aliter ff. De adopt. gl. in c. Quanquam. De usur. Bartol. in l. Generali. C. De Tabellion. lib. 10.* (p) *arg. l. Legatis. § Ornatricibus. ff De legib.* (q) *text. in l. 1. ff. De divers. & temp. act. l. Legavi. ff De lib. legat. l. 1. § Dixerit aliquis. ff. De public. l. Justa. ff. De usucap. l. 1. ff. De in integr. restit.* (r) *l. Ad Rempubl. ff. De muner. & honor.* (s) *text. in Can. Si quis triginta. dist. 78.*

humanæ negotia roborentur, ac perenni memoriæ tradantur; si verò ante maturam ætatem ad ejusmodi Officium quis eligeretur, talis favor verteretur in odium, cùm ante maturam ætatem judicia hominum infirma esse (t) dicantur; hinc instrumentum à Notario ante legitimam ætatem creato confectum, suspectum esse, partes possunt (u) allegare. II. In creando Notario morum gravitas requiritur, tum quia plerumq; incompositio corporis inæqualitatem mentis (w) indicat, tum quia morum gravitas quemlibet hominem, multo magis publicum (x) commendat; tum quia Notarius ex probata vita sua multa commoda consequetur; bono enim Viro indubitanter fides (quam Notarius maximè curare debet) datur, nec, quod mentiatur, (y) credendum III In ejusmodi Notario necessaria est Literarum. Scientia, quia prudentiâ indigens multos (z) opprimit. Præterea Scientia in Notario ex eo requiritur, ut falsitatis pœnam evitare (a) possit. Et cùm gradus scientiæ triplex (b) sit, Eminens nempe, per quam quis scit difficiles ac subtiles quæstiones explicare & definire in promptu, absq; revolutione (c) librorum, qualis scientia magis à Deo provenit, quàm ab hominis (d) ingenio. Mediocris altera, per quam difficiles quæstiones cum revolutione librorum deciduntur. Sufficiens ultima, per quàm quis sufficienter potest explere ea, quæ incumbunt

Offi-

(t) *l. 1. ff. De minoren.* (u) *gl. in* § *Quia. In Auth. De trien. & Semi.* (w) *Can. fin. dist.* 41. *l. Is qui.* § *Divus. ff. De tutor & Curator. Can. Nec solùm* 32. *qu.* 1. *Auth. Habita C. Ne Filii pro Patre.* § *Pavonum: Instit. Imper. De rer. divis.* (x) *Can. Licet.* 8. *qu.* 1. *c. Cum bonæ. De ætat. & qualit. c. Postulâsti. De Cleric. excom. l. Nec enim. De Adopt. l. 1. De emend. propin.* (y) *gl. in l. Titio fundus. ff. De condit: & demonstrat: Hostien: in c. Finem litibus. De dolo & contumacia.* (z) *Prov:* 28. (a) *l. In generali. C. De Tabellion:* (b) *Abbas in c Cum in cunctis. De elect: Num:* 4. *Innocent: Hostien: Num:* 15. *Fagnan: ibid: Num:* 138. (c) *text: in c: Nisi cùm pridem. De renunt: & in l. Scire oportet in vers: Maximè. & in l. Disciplinatus homo. & in l. Vertices: ff. De excusat: Tutor: & in l. A testatore. in Vers: Magno ingenio. ff. De condition: & demonstrat: & gl: in Can: Non licet.* 11. *qu:* 3. (d) *Can: Ecce: dist:* 36. *Can: Revertimini:* 15. *qu.* 1.

officio (e) suo, hinc constitui in aliquo officio, & competentem huicce officio non habere scientiam, turpissimum (f) est, adeò; ut illâ carentes, magis hominum imagines, quàm homines appellari (g) mereantur. Et hæc saltim ultima scientia omnino respici debet in creandis Notariis publicis, maximè, quia Officia publicam utilitatem concernentia (quale est Officium Notariatûs) Viris literatis conferri (h) debent. Porro: illi, qui in Notarios publicos, carentes dictis qualitatibûs eligunt, puniuntur in eo, quod poterunt electione (i) privari, & quod: si electi aliquid damnosum parti commiserint, eligentes possunt ad interesse [k] teneri, quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam (l) cadunt.

COROLLARIUM V.

Officium Notariatûs est incompatibile, adeoq; plura ejusmodi officia simul retineri (m) non possunt, neq; arendari (n) possunt. Et differt Notarius (o) à teste, quia ut aliquis sit testis, non requiritur authoritas Principis, sed generaliter omnes, qui non prohibentur, possunt esse (p) testes, ut autem aliquis sit Notarius, authoritas, seu specialis deputatio Principis requiritur. Quibus Notariis publicis prohibitum est, in causis coram ipsis vertentibus agere Procuratores vel (q) Promotores.

CONCLUSIO II.

Notarii possunt esse tam Personæ Spirituales, quàm Personæ Sæculares.

CO-

(e) *arg: c: In causis. § fin: De qualitat: eligend:* (f) *l.* 2 *§ Servius autem Sulpitius ff de orig: Jur:* (g) *Abbas in c: Prudentiam: Extra. De Offic: Delegat. Can: Vilissimus.* 1 *qu:* 1. (h) *c: De mulcta: De Præbend: gl. in l: Societatem ff Pro Sociis. Joan: De Imo. in c: Cum ex eo: De elect: lib:* 6. (i) *l: Ad subeunda: C: De decurion: c: Quia propter. Extra. De election:* (k) *Bartol: in l:* 1 *C: De Man: & Col: pat: lib:* 11 (l) *Can: Quod quidam: § Sic omnes:* 1 *qu:* 1 (m) *Rota loc: cit: decis:* 504. (n) *Fagnan: Ubi supra:* (o) *cc: DD:* (p) *l:* 1 *ff De testib;* (q) *Capuccius loc: cit:*

COROLLARIVM I.

POtestatem creandi publicos Notarios habet Papa, Imperator, Rex, & alius Princeps, superiorem non recognoscens, sicuti & Civitates exercentes jura (r) Principis. Deinde dicta Potestas competit illis, quibus à Supremo Principe concessum est speciale privilegium creandi Notarios publicos, ùt sunt: Prothonotarii, nonnullæ Universitates, imò & Religiones, quæ pro utilitate sua constituunt sibi Notarios publicos; vel qui per immemorabilem consvetudinem tale jus legitimè (s) præscripserunt. Imò etiam Episcopi possunt creare Notarios pro sua (t) Diœcesi. Rursus: in praxi videmus, quod etiam Prælatis, Canonicis, Doctoribus, aliisq; in dignitate constitutis dependenter datur facultas creandi publicos Notarios, qui, sicut & illi omnes supra expressi potestatem creandi habentes, Notariis publicis in signum officii eorum tradunt calamũ & atramenti (u) thecã. Unde patet, quòd ad constituendos Notarios publica Potestas requiritur, nec sufficit in eo error privatorum, quandam sibi potestatem ad creandum (w) usurpantium, quia sicut occupatio beneficiorum sine institutione canonica non valet, non obstante consvetudine contraria, seu errore (x) communi, similiter: sicut non valent gesta ab eo, qui communi opinione reputatur tutor, cùm (y) non sit; ita irrita censentur gesta à Notario, si non fuerit secundùm antiquam consvetudinem, hoc est: ab habente legitimam potestatem ad id [z] constitutus. Et taliter creatum Notarium possessio sui officii non juvat, quia qui sine creatione ac Superioris authoritate

se

(r) *Abbas in c. Cum. De fid: instrum: Num: 7. & 8. Speculator De instrum: edit: § Restat: Num:* 22. (s) *arg: l: ult: C: De emancipat: c. Cum dilectus, De fid: instrum: Et c. Accedentibus § fin: De excess: Prælat:* (t) *Card: Tusch: lit: E. concl:* 290 *num:* 1. *post Oldradum: consil:* 75. *& lit: N: consil:* 70. *Num:* 5 *&* 6 *Abbas d. c. Cum Belletus. disquisit. Cleric: part: tit:* 1. § 29 *Num:* 10 (u) *Sixtus V. Constit: quæ incipit Romanus Pontifex. §. Notarius. edita Cal: 7bris* 1585. (w) *l: Privatorum C: De jurisdict: Omn: Judic:* (x) *c. Beneficium: De R: I. in* 6. (y) *l:* 2 *De eo, qui pro tutore &c:* (z) *Reiffenst: lib:* 2 *Decretal: tit:* 22. *De fid: instrum: §.* 9 *num:* 270.

se immiscet officio Notariatûs, potius censetur temerarius & violentus occupator, non autem possessor. Unde nec locum habere potest præscriptio, quantocunq; tempore illa possessio continuata fuerit, quia possessor malæ fidei ullo tempore non [a] præscribit. Nihilominus privata aliqua authoritate creati Notarii gaudent privilegiô Notariatûs tunc, quando scilicet ingressi sunt in quasi possessionem Notariatûs, sciente & patiente Superiore, habente potestatem creandi Notarios, adeo; ut si fungantur talî officiô, instrumenta per eos confecta valeant, & hoc ex eo; quia postquam Superior scivit & tacuit, censetur tacitè talem Notarium confirmâsse, prout in simili de habente possessionem Jurispatronatûs lex (b) decrevit.

COROLLARIUM II.

IN Notarium publicum constitui non potest, nisi sit homo liber, quia servus non potest esse Notarius, cum Notariatus sit publicum Officium, à quo servi (utpote de Jure Civili infames.) amoventur & (b) repelluntur. Non debet esse colonariæ conditionis, ne publicis actibus privata officia misceantur; nec aliqua privata persona, cujus nomine veniunt illi, qui aliqua dignitate prædi ti (c) non sunt. Non debet esse alteri necessitati adstrictus, quia tali Officio est electus, ut ei soli, prætermissîs aliîs occupationibûs vacare (d) debeat. Sic Monachi & Canonici Regulares hôc Officiô fungi non possunt, ex quo ipsi ad ea, quæ Juris Civilis sunt, mortui reputantur, eorumq; munus est, Divinis officiis vacare, & non se iis, quæ in foro aguntur, immiscere. Debet esse masculus, quia fæminæ ob inconstantiam & fragilitatem consilii sui, ut ab omni munere, ita ab Officio Notariatûs repelluntur. Debet esse sanæ mentis, quia furiosi ad exercitium hujus artis non admittuntur, cùm Notarius debeat

(a) c: eod: De R: I: in 6. (b) c: *Consultationibus. De Jure Patron:* (c) c. *Infamibus De R: I: in 6. l: fin: C: ad l: Iul: De Vi publ: l: Si aliquis: C: de Suscep: l: Quicunq; C: De diver: Offic. Can: Placuit.* 11. *qu:* 3. *Can: Si quis* 18 *qu:* 2. (d) *Arg: Can: Qui contra* 25. *qu:* 1. *& gl: ibid: Verb: privati:* (e) *Arg: l: generaliter C: De Episc: & Cleric:*

beat esse benevolus, quòd furiosis deest. Debet esse videns & audiens; quia qui caret lumine, vel non audit, vel est mutus, ordinariè loquendo, rectè officiô fungi nequit. Debet esse integræ famæ, quia cùm Notariatus sit publicum Officium, etiam Virum omni ex parte probatum requirit.

COROLLARIUM III.

ANtequam quis ad Notariatus publici Officium eligatur, primò maturum examen præmittere debet, secùs privilegiis Notariorum non gaudet, imo penitus Notarius (*e*) dici nequit; quia aliquis non potest Notarius dici, nisi in ipso debitæ solemnitates reperiantur, quod ex ipso examine (*f*) cognoscetur, maximè quia unusquisq; præsumitur esse ignorans, donec contrarium (*g*) probetur. Porro: tale maturum examen neque seni remittendum est, quia si hic ignorans erit, poterit addiscere, nec ei inde aliquod opprobrium (*h*) eveniet.

COROLLARIUM IV.

SPectato jure communi Notarius creatus à Papa potest quidem instrumenta conficere in terris Ecclesiæ subjectis, ac etiam alibi, quò ad Causas Ecclesiasticas, non tamen in terris Imperii, respectu causarum profanarum; sicut è contra: Notarius ab Imperatore creatus nequit extra terras Imperii, vel in Causis Ecclesiasticis instrumenta (*i*) conficere. Tum: quia duo operantur, quæ faciunt, quòd credatur instrumento publico, nempe: præstatio juramenti per Notarium (*k*) facta; & Authoritas, quâ Notarius talem potestatem (*l*) recipit; hoc verò posterius deficit in Notario, qui conficit instrumentum extra territorium Constituentis. Tum quia à pari: sicut dictum testis authoritate Judicis Laici in Causa Eccle-

B siasti-

(e) *l. Nemo C: De Advocat: divers: Judic:* (f) *Dominicus in Can: Multi. dist:* 40. (g) *Angelus in l: Nullus. C: De fabr: lib: ll. & Joan: Andr: in c: Quicunq; De Hæret: lib:* 6. (h) *Can: fin: dist:* 38. (i) *Joan: Andr: in c: Sicut te. De fid: instrum: num:* 2. *Et Abbas ibidem Num:* 12. *Pirhing. eod: tit: Num:* 11. (k) *c. Ad audientiam.* 13. § *Nos igitur. De præscription.* (l) *Auth: De tabellion:* § 1. *Collat.* 4.

ſiaſtica recepti, fidem non facit in foro (*m*) Eccleſiæ, ita pariter non probat inſtrumentum ſuper cauſa Eccleſiaſtica factum per Notarium Laica Authoritate creatum; valet utiq; argumentum à teſte ad Notarium, & (*n*) è contra ſecus; dicendum de valore inſtrumenti taliter confecti, ubi contraria conſvetudo (*o*) habetur, quæ dat alicui jurisdictionem, quam alias non (*p*) habuit; aut tacitus ſupremorum Principum conſenſus (*q*) adeſt. Cæterum: licetſi inſtrumentum de re temporali à Notario Eccleſiaſtico confectum non valeat, & è contra; nihilominus ſub tempus creationis tanta authoritas Notario datur, ut inſtrumentum publicum confectum à Notario intra territorium Conſtituentis, faciat fidem etiam extra territorium (*r*) ejus. Quod colligitur inde, quia cùm circa valorem inſtrumentorum inſpiciatur locus, in quo inſtrumentum (*s*) confectum eſt, jam verò Notarius intra territorium Conſtituentis, rogatus ab extraneis, faciens inſtrumentum, tali inſtrumentô in loco Conſtituentis confecto acquirit fidem publicam; & quidem de jure communi; hinc vis probandi ſemel acquiſita non tollitur mutatione (*t*) loci, cùm ſcriptura facta in loco ſecundum privilegium loci, probet (*u*) ubiq;.

COROLLARIUM V.

POſteaquam Notarii ad Officium Notariatûs electi fuerint, adeo ad exercitium artis hujus tenentur, ut ſi illam exercere negligant, aut per alium Notarium exequi velint, tunc licetſi in Notariorum matricula reperiantur deſcripti, attamen in pænam negli-

(m) *c: At ſi Clerici. 4. de Judic.* (n) *Arg: l: Domitius Labeo. ff De teſtam: junct: gl: fin: ibid: Et l: Hæc conſultiſſima. § fin: C: De teſtam: Iaſon in l. Barbarius ff De Offic: Prætor. Num: 46.* (o) *Schnalzgrueber De fid: inſtrum: Num: 6.* (p) *c: Cum contingit: 13. De for: comp: junct: Concordan: à gl: fin: ibid: relatis.* (q) *Card: Tuſch: ſub lit: N. concl: 72. num: 1. & 3. Maſcard: De probat: concl: 928. num: 19. Rota decis: 5. alias 91. De fid: inſtrum: In novis.* (r) *Abbas in c: Cum: num: 9. De fid: inſtrum: Felinus ibid: Num: 16. allegans Rotam in Formis decis: 291. Quæ incipit. Inſtrumenta confecta* (s) *Arg: l: 1. C: De emancipat:* (t) *Reiffenſt: ubi ſupra.* (u) *Arg: l. Si non ſpeciali C. De teſtib: Bald: & Salicetus ibid: Et l. 2. C: Quemad: teſtam: aper.*

gligentiæ juremeritò possunt ipso Officio [*w*] privari. Nec mirum est; quia in hac arte id, quod quis potest facere per se, non potest facere per alium, nam videmus in simili quod aliquis potest se ipsum defendere, & tamen non potest hoc alteri (*x*) demandare. Nec poterunt Notarii aliquô pactô per alios tali instrumento (*y*) inservire, tum quia Notarius, qui instrumentum confecit, poterit ipsum extendere secundùm consvetudinem suam, non item (*z*) alius; Tum quia, cùm in tali Officio eorum sit electa industria, non debent utiq; posse per alios tale Officium (*a*) explere. Deinde: cum facere instrumentum non competat de jure (*b*) Magistratûs, ideo delegari non (*c*) potest. Hæc tamen assertio tunc non habet locum, si de eodem instrumento plures Notarii rogati fuerint, quia tunc unus eorum, vel is, cui alterius protocolla commissa sunt, instrumentum Authenticum inde conficere (*d*) potest, nam eo casu unusquisq; Notariorum censetur in solidum rogatus (*e*) esse. Aut si Notarius habeat aliquam justam causam impedimenti, ut per se (*f*) faciat, cùm necessitatis gratiâ, qualis est in præsenti, impedimentum, multa fieri conceduntur, quæ aliàs

 fieri

(w) *Text: in l. Qui sub prætextu. C: De Colleg: in l. semper* § *Negotiatores. ff De jur: immun: in l. Ne quidem C. de testam: militar: in l. Qui sub prætextu C. De Sacros Eccl: Felinus in c: Clericus. De Judic: in l.* 1. *ff Ex quibus Causis* (x) *Baldus in l. Ut vim. ff De I. & I. in l. Accusationibus. C: Quod metûs causâ. in l. Ad Officium. C: com: divid: in l. Graccus. C: Ad l. Jul: De adulter.* (y) § *penult: Auth: De tabellion: gl: in* § 1. *in Auth: De instrum: Caut: & fid: Baldus in c. Ne autem. De Caduc: tollend: gl: in l. Stipulatio.* § *Scire. ff De N. O. N. Baldus in l. Si h.. C: locat.* (z) *Bartol: in l. Gallus in* § *Idem credendum ff De liber & post h. Baldus in Auth: Si quis in aliquo. C: De edend: Nicol: De Mart: in l. Si ex falsis C: De transact.* (a) *l.* 1. *in fin. ff De Offic: Prætor: Præter: l. inter Artifices. ff De solut: l. Per hanc. C: De erogand: militar. annon.* (b) *gl in Auth: De tabellion: Collat:* 4. *Verb: Ipsis per se* (c) *l.* 1. *in princ: ff De eo, cui mandata est jurisdictio* (d) *Menoch: De Arbitrar: Judic. lib:* 2. *cas:* 187. *Num:* 7. *id probans ex Auth: De instrum: cautel: & fid: junct. gl: in Auth: De hæred: & falcid:* § *Si verò absunt. Verb: Quantum* (e) *Alexand: consil.* 124. *Num.* 4. *lib* 7. *Angelus in l. Si quis ex Argentariis. ff De edend.* (f) *gl. in l. Jurisconsulto ff De Offic. Præsid.*

fieri non (*g*) possunt. Sic: Pater ex causa necessitatis potest filium (*h*) vendere. Ex necessitate potest quis (*i*) furari, hominem (*k*) occidere, domum vicini destruere, si per destructionem *vg.* incendium (*l*) evitaretur; & alia similia fieri ex necessitate (*m*) possunt. Si autem quid tale evenerit, quod scilicet aliquô impedimentô impediti Notarii per alios instrumenta explicent, debent in ipsis instrumentis specificam & expressam impedimenti subscriptionem (*n*) facere, quia ea, quæ specialiter & expressè fiunt, magis operantur, quàm ea, quæ in genere (*o*) fiunt. Rursus: potest Notarius tale Officium explere per alium ejusdem (*p*) peritiæ, quia speciale est in illustribus Personis, ut possint per substitutum (*q*) servire sicut Doctor, qui per 20. Annos legit; cùm sit effectus (*r*) illustris potest per substitutum (*s*) legere. Potest etiam unus Notarius, pro altero ex protocollo illius instrumentum validè conficere, si Notarius ille qui ad partium petitionem protocollum fecit, ante perfectionem solennis instrumenti mortuus fuerit, uti hoc expressè decisum habetur *in c. penult. de fid. instrum.* ubi Gregorius IX. Papa rescribit I. Tabellioni hîs verbîs *Cum P. Tabellio morte præventus quædam non perfecerit instrumenta, quæ in nota redacta fuerunt ab eodem, ad petitionem eorum, ad quos pertinent, authoritate Judicis Ordinarii poteris* [tu I. Tabellio] *ea fideliter in publicam formam redigere, habitura per hoc perpetuam firmitatem.* In quibus verbis patent clarè conditiones requisitæ ad hoc, ut unus Notarius possit in formam redigere ac publicare instrumentum, de quo alius fuit rogatus

(g) *l. 1. ff De offic. ejus l. fin. § Sin autem. C. de jur. delib.* (h) *l. 2. C. De Patr. qui fil.* (i) *c. 3. De furt.* (k) *Clem. de homicid:* (l) *l. Si quis fumo. ff Ad l. Aquil:* (m) *DD. in l. 1. De oper: lib: in l. 2. De Offic: Procons. in l. 2. ff Si cert: pet: Romanus in l. Si verò ff Solut: Matrim.* (n) *Bartolus in l. Divus in ff De fal.* (o) *l. Item apud § Hoc edictum ff De injur: l. si quis mihi bona. § Sed utrum. ff De acquir: hæred: l. Quintus § Sed quòd ff De aur: & arg: legat.* (p) *Bartol. in l. 1. C. De præpo: agen: in reb: lib. 12. gl: in l. 1. C. Mand: & Colle: l. Fidei commissaria. § fin: ff De leg: gl. in l. 1. in §. Quoties ff De vi & vi armor.* (q) *l. Quisquis. C. De Episc: & Cleric. l. Nullus C. De decurion.* (r) *§ ideo in prima. Constit. 100.* (s) *Barbatius in c. Quoniam. § Porro. Extra. De Offic: Deleg.*

gatus. Harum I. est, ut iste morte præventus sit, quod non tantum de morte naturali, sed etiam civili, puta: missione in exilium, imo & de longa infirmitate seu alio diuturno impedimento (*t*) procedit. II. Ut secundus Notarius faciat ad petitionem eorum, ad quos pertinet. III. Authoritas Judicis, ut nempe de morte, seu diuturno impedimento prioris Notarii, simulq; de fide & integritate illius, nec non protocolli, seu notarum peripsum factatum Judex Ordinarius summariè (*u*) cognoscat. IV. Ut ille secundus Notarius notas seu protocollum prioris Notarii mortui, aut legitimè impediti in publicam instrumenti formam redigat, quale protocollum Notarius penes se servare debet, ut habeat, unde sciat (*w*) negotium. V. Ut istud præstet fideliter, hoc est nihil ad substantiam pertinens addendo, subtrahendo, vel minuendo ex ijs, quæ in notis, seu protocollo defuncti Notarii (*x*) continentur; quanquam per hoc non negetur, quin alter Notarius illa, quæ abbreviatè reperit scripta in protocollo defuncti, extendere valeat, nam eô ipsô, quod protocollum est prima seu originalis scriptura, in qua breviter à Notario annotatur substantia actûs gesti, ut deinde extendi & absolvi (*y*) possit; hinc alio Nomine dicitur (*z*) abbreviatura, & imbreviatura, sive instrumentum Notarii (*a*) non extensum, necesse est, in ejusmodi extensione, seu confectione solemnis instrumenti quædam addere, juxta interpretationem juris & consvetudinem locorum, dummodo nihil addatur aut diminuatur de (*b*) substantialibus.

CONCLUSIO III.

NOtarius publicus in omnibus & de omnibus honestis instrumentum conficere potest.

(t) *Joan: Andr: in c. penul. De fid: instrum: Num:* 8. *Abbas ibid: Num:* 1. *Barbos. in Collecta num:* 2. *& seq. Covarruv. practit: quæst. cap.* 21. *Num.*3. (u) *Pirhing: De fid. instrum. num:* 19. (w) *c. Quoniam contra. De probat: & d. Aut: De tabellion. Collat.* 4. (x) *gl: fin: & Abbas in d. c. penult. De fid. instrum.* (y) *Calvinus in Lexico Juridico Verb: Protocollum. Et Spiegellius ibid. Verb. eod.* (z) *Mascard. De probat: Concl:* 4. *Num:* 1. *&* 5. (a) *Card: Tusch: sub lit: P. Concl.*945. *Num.*1. (b) *Joan: Andr. ubi supr: Num:* 8. *Abbas ubi sup: Num:* 5.

COROLLARIUM I.

IN conficiendo publico instrumento de jure & consvetudine plura tam ex parte instrumenti quàm ex parte sui publicus Notarius servare debet. Et quidem ex parte instrumenti sequentia: I. In principio publici instrumenti debet Notarius præ primis ponere invocationem Divini Nominis per Verba: In Nomine Domini Amen. Vel: In Nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis. Quæ quidem solemnitas desumitur *ex Can: In Nomine Domini. dist.* 23. *& Can. In Nomine Patris. dist* 75. Ubi Pontifex in publico instrumento legitur usus tali invocatione Divini Nominis; *junct. Auth. Ut præponatur Nomen Imperatoris documentis. Collat.* 5. *Ibi: Authore Deo.* Quod ipsum consvetudo hodie vigens comprobat, quanquam solemnitatis hujus omissio non vitiet instrumentum, unde & in juribus allegatis ipsum quidem adhibetur, non tamen fieri (*c*) præcipitur. II. In publico instrumento debet Notarius apponere Annum Dominicæ (*d*) Incarnationis. Et quamvis hæc solemnitas de jure non requiratur, nec probetur, nihilominus ipsa de consvetudine est inducta, adeo, ut ea omissa instrumentum sit nullum. Certum enim est, in instrumentis mentionem Annorum Domini esse maximi momenti, & hoc ideo, ut constet, quo tempore sit confecta scriptura, cum alioquin posset contingere maxima incertitudo cujuslibet negotii seu juris per instrumentum à publico Notario confectum probandi. Tum quod ad invalidandum instrumentum sufficiat omissio solemnitatis, consvetudine tantum inductæ, modò ea non sit levis, sed magni (*e*) momenti. Annus verò Incarnationis Dominicæ ab Anno communi differt eo, quia ille incipit à die 25. Martii, quâ Christus post Annuntiationem Angelicam in utero Virginis conceptus est; hic verò incipit à die prima Januarii, quâ communiter annum inchoamus. Prior ponitur in

(c) *Covarruv: pract. quæst. Concl.* 20. *Num.* 1. *& seq: Mascard. Num:* 81.
(d) *gl: in c. Inter dilectos. Verb: Inductionis. De fid: instrum: Abbas loc: cit: Mascard: Num:* 82. *Covarruv: dict: Concl:* 20. *Num:* 2. (e) *gl: in dict. Auth: Ut præponatur.*

in Bullis Pontificiis, & in instrumentis per publicos Notarios confectis, posterior in Brevibus, ac Epistolis Pontificum Encyclicis. Quæ Bullæ; Brevia & Epistolæ si habeant addita verba: *Ad perpetuam rei memoriam:* tenent pro semper; si verò: *Ad futuram rei notitiam.* nonnisi ad aliquod determinatum tempus obligant. III Instrumentum publicum debet habere appositum mensem & diem Anni Dominici, quô ea, quæ inseruntur instrumento, gesta (*f*) sunt. IV. In quolibet instrumento, quod à publico Notario conficitur, debet exprimi Indictio Romana, dicta, ab indicendo, quia antiquitus Romani, dum totum Mundum suæ potestati subjugårunt, indixerunt, ut illis de qualibet Provincia triplicia tributa solverentur, idq; in fine primi quinquennii solebat ipsis pendi ferrum, ad efformanda ex eo arma militibus Romanis, in fine secundi quinquennii argentum, ad exsolvenda militum stipendia, in fine tertii quinquennij aurum, quod in ærario reponebatur, ad subveniendum Reipublicæ Romanæ tempore necessitatis, unde dicebatur Indictio ferrea, argentea, & aurea. Hinc instituerunt Romani, ut nullum privilegium, aut conventio scripta esset stabilis, nisi haberet annum Indictionis annotatum, & hoc ideo, ne tributorum solvendorum memoria (*g*) laberetur. Estq; hæc Indictio numerus annorum, constans ex tribus lustris, seu ex quindecim (*h*) Annis, quibûs peractîs iterum reditur ad unitatem, initiumq; sumit quilibet Annus hujus Cycli Indictionum à Januario in Bullis (*i* Pontificiis, quam invenire hic est facillimus modus. Accipe Annos Domini, & eis addas tres annos, quia tertius annus Indictionis erat tempore Nativitatis Christi; deinde: numerum Annorum divide per 15. & semper abjicias illa 15. residuum vel saltim ultimum quindecim dabit (*k*) Indictionem. Hæc itaq; Indictio omnino addenda est in instrumentis; adeoq; ad validitatem eorum est necessaria, ut ex defectu illius falsitas instrumenti facile deprehen-

(f) *gl. in l. Generali. Verb: Servituti C. De tabellariis Speculator De instrum: edit: §1. num: 7.* (g) *gl in d. Auth. Ut præponatur* (h) *gl. in d. c. Inter dilectos* (i) *Brev. Rom. in rubr. general. tit. de indict.* (k) *gl. loc. cit.*

hendi (*l*) possit. V. Instrumento publico debet inferri Nomen Papæ vel Imperatoris aut alterius Constituentis in locis ipsius Dominio subjectis, unâ cum anno Papatûs, Imperii, aut (*m*) regiminis. VI. Debet quoq; instrumentum publicum habere expressum locum illum, in quo celebratur contractus sive alius Actus, qui in instrumento (*n*) exprimitur. Et quidem locus celebrationis actûs debet in instrumento exprimi, non tantùm in genere, dicendo *vg.* ita actum esse Cracoviæ, sed debet addi ipsimet locus particularis, in quo actus ille celebratus est, alioquin hujus omissio ob incertitudinem illam, quam haberet, instrumentum (*o*) labefactaret. Quinimo majoris securitatis gratiâ solet etiam in instrumento exprimi locus loci particularis, *vg.* hipocaustum ipsius Domûs, ut ita, si instrumentum foret factum, fraus facilius posset detegi per hoc, quod ille, cujus interest, probaret se in tali loco non fuisse, quamvis hoc non adeo est necessarium, ut omissio illius invalidet (*p*) instrumentum. VII. Debet servare Notarius, ut nomina testium, qui celebrationi actûs, super quo fit instrumentum, interfuerunt, atq; ad minimum duo requiruntur, instrumento per se confecto (*q*) inscribat. Quamvis verò in appositione præsentium sub tempus celebrationis actûs testium consvetudo locorum servanda sit, nec obstet, si testes se subscribant, vel [*r*] non, attamen testium subscriptio non ita necessario requiritur ad instrumentum publicum, ut omissione hujus solemnitatis instrumentum (*s*) infirmetur, quamvis illud sit validè consultum ad evitandas Notariorum (*t*) fraudes. Ex parte sui ad valorem instrumenti per se conficiendi præter ea requisita; ut sit de legitimo toro natus, peritus Juris, quan-

(l) *Covarruv. lib. 1. variar. resolution. Cap 12. Num. 7. post Bartolum in l. Si quis § Si initium Num. 12 ff De edend.* (m) *Bartolus in l. Infames. ff De publ. Judic.* (n) *text. in c. Abbate. De sentent. & re judic. in 6to. Covarruv. practic. quæst. Concl. 29. Num: 3.* (o) *Idem ibid.* (p) *Reifenst. De fid. instrum. Num. 24.* (q) *Auth. De Instrum. Cautel. § Sed etsi instrumenta Collat. 6.* (r) *Arg. c. Cum inter. De sentent. & re judic. & l. Contractus C. De fid. instrum.* (s) *gl. in de Auth. De instrum. cautel. Verb. Compleatur. Abbas in c. 1. De fid. instrum.* (t) *Thomas Smitz De fid instrum. qu. 1.*

quantùm ad ea, quæ ad iſtud Officium pertinent, ne ſit aliquâ cenſurâ irretitus, adeò; ut ſi ſit excommunicatus, non toleratus, inſtrumentum ab eo confectum non valeat, ſi verò ſit toleratus, inſtrumentum quidem, ſi non impugnetur, valeat, probata tamen excommunicatione infirmari (*u*) poſſit; Notarius debet obſervare ſequentia; I. Ut ſit legitimè creatus, aliàs ab habente poteſtatem publicus Notarius conſtitutus; quia inſtrumenta confecta à Notario putativo, ſeu eo, qui nunquam ab habente poteſtatem creatus eſt Notarius, ſed ipſemet ſeſe ingeſſit tali officio, adeo, ut communi opinione reputaretur talis, quamvis re ipſa non fuerit talis, invalida (*w*) ſunt. II. Notarius confecturus inſtrumentum debet per ſe ſcire, atq; intereſſe negotio, de quo conficit inſtrumentum, ac proinde nihil aliud debet ſcribere, quàm quod ipſemet propriis oculis vidit, atq; præſens (*x*) audivit, quia Notario publico non creditur, niſi de his, quæ coram eo vidente, vel audiente à partibus geſta (*y*) ſunt. Hinc ipſum Actum accuratè & cum omnibus circumſtantiis ad ipſum factum pertinentibus in inſtrumento exprimere (*z*) debet. III. Tenetur Notarius Nomen ſuum ſubſcribere propria manu, exprimendo, qua Authoritate: an nempe Pontificiâ vel Imperatoriâ ſit Notarius? aliàs vitiabitur (*a*) inſtrumentum. IV. Debet Notarius in inſtrumento apponere ſignum ſui (*b*) Notariatûs, adeo ut illius omiſſio vitiet (*c*) inſtrumentum. V, Ad valorem inſtrumenti ex perſona Notarii requiritur,

 ut

(u) *Idem ibid.* (w) *Speculator. tit. De Inſtrum. edit.* § *Reſtat. num.* 32. *Bartol. in l. Barbarius* § *Et per hæc puto. ff De Offic. Prætor. Abbas in c. Sicut te. Ne Clerici vel Monachi. num.* 21. *Pirhing. De fid. inſtrum. num.* 13. *Zoezius eod. tit. num:* 4. *Iaſon d. l. Barbarius num:* 48. (x) *Auth. De tabellion. Collat.* 4. *Speculator. d. tit. De inſtrum. edit.* § 1 *num.* 13. *Menoch. lib.* 2. *De arbitr. Judiciis Caſ.* 145. *num.* 8. *Engel. De fid. inſtrum. num.* 7. (y) *d. Auth.* De *tabellion.* § *Nos autem Collat.* 4. (z) *Thom. Smitz ubi ſupr.* (a) *d. Auth.* De *inſtrum: cautel. junct. gl. ibid. ver. Adjiciatur. Speculator ubi ſupra num.* 11. *Covarruv. d. concl.* 20. *num* 5 *Maſcard. qu.* 6 *proœm. num.* 91: *Engel. ubi ſupra num:* 14. (b) *gl in d. Auth* De *inſtrum. cautel. & l. ult. C.* De *aſſeſor* (c) *Maſcard. loc. cit. num.* 92, *poſt Bartol. in proœm. ff. num.* 6.

ut ſit rogatus (*d*) à partibus, quia Notarius non poteſt quidpiam facere, niſi fuerit à partibus (*e*) rogatus, adeo; ut ſi contrarium fecerit, poterit de falſo (*f*) puniri. Atq; ideo ſtylus communis etiam hodie habet, ut Notarii in principio, vel fine inſtrumenti exprimant ſe fuiſſe rogatos & requiſitos. VI. Notarius ſeriò id animadvertere, atq; in ea praxi ſolicitus eſſe debet, ut ſemper ſervet eandem ſubſcriptionis formam, & hoc ideo; ut cùm opus fuerit, poſſit fieri comparatio inſtrumentorum per illum (*g*) confectorum. Porro: licèt aliquæ ex dictis ſolemnitatibus tam ex parte inſtrumenti, quàm ex parte Notarii ad valorem requiſitis, de rigore juris non eſſent neceſſariæ, dummodo aliàs non intervenerit vitium; de conſvetudine tamen tales ſolemnitates in publicis inſtrumentis adhiberi ſolent, & debent, ex quo, omiſſio ſolemnitatis de conſvetudine requiſitæ ita vitiat inſtrumentum, ſicut omiſſio ſolemnitatis (*h*) juris. Hinc ſi dictas ſolemnitates Notarii publici in conficiendis ſuis inſtrumentis apponere prætermiſerint, æ[illegible] falſi non (*i*) evitabunt; quia præſumptio juris & de jure eſt, quod Notarius non ignoret pertinentia ad Officium (*k*) ſuum, quo caſu; ſi quæ ex requiſitis ſolemnitatibus fuerit ab illis omiſſa, præſumendum eſt, quòd hoc doloſè (*l*) fecerint, ex quo: in Notario potius ſcientia quàm ignorantia (*m*) præſumitur. Hanc verò falſi [illegible] ex [illegible]tione omiſſarum in inſtrumento ſolemnitatum incurſam aliter

Nota.

(d) *Auth.* De *tabellion.* § 1. *Collat.* 4. (e) § 1. & *fin.* in *Auth.* De *tabellion.* (f) *Anton Taſſara Notarius Patavinus in Compendio in Notariorum* err[illegible]res *cap.* 6, *num.* 1. (g) *arg. d. Auth.* De *inſtrum. Cautel. junct. gl. Verb. Adjiciatur. Collat.* 6. (h) *gl in d. Auth. Ut præponatur. Verb. Authore. Alexander* [illegible] 166. *num.* 13 *lib.* 6. *Maſcard. q.* 6. *num.* 93 *Cravet.* [illegible]. 216. Et *Conſtit. Maximiliani Imper. in Comitiis Coloniens. Anno* 1512. *promulgata, apud Engel. tit.* De *fid. inſtrum. num.* 15. (i) *text. In l. Jubemus. C.* De *teſtam.* (k) *l. Si quis ex Argentariis. ff.* De *edend.* (l) *arg. l. Conſtitutiones. C.* De *Jur. fac. ignor. l. Regula. ff. eod. tit. § Illud § fin. in Auth.* De *tabellion. Anch. in c. Cauſam, quæ,* De *tabellion. Ricar. Malumb. in qu incip. teſt. Bald. in l. Poſt diviſionem. C.* De *jur. & fac. ignor.* (m) *l. fin. C.* De *decret. ab Ord. faciend. l. Methrodorum, ff.* De *pænis. gl. ord. in l. Ne quid ff.* De *incend. ruin. & naufrag.*

Notarii evitare non poterunt, nisi probatâ (n) famâ, per quam probationem extinguitur præsumptio (o) doli, quia non est præsumendum, quòd Vir bonus mentiatur, & consequenter: quod dolum (p) committat.

COROLLARIVM II.

NOtarius Publicus in conficiendis instrumentis peccare potest multifariam. I. Si omiserit aliquam ex supra expressis solemnitatibus ad valorem instrumenti necessar iò prærequisitis II. Si instrumenta publica, probationem aliquam inducentia cancellaverit, vel in aliqua sui parte substantiali (q) abraserit, quia cancellatio vel rasura literarum in loco cæteroquin suspecto gignit præsumptionem falsitatis, adeoq; instrumentum habens rasuram in loco suspecto, seu in parte substantiali, tanquam falsum atq; invalidum rejici potest, nihilq; (r) probat, nam hæc rasura præsumitur facta causâ veritatis occultandæ, quæ veritatis occultatio, falsitatis species (s) est. Iam verò locus suspectus seu pars substantialis in instrumentis censetur esse illa, ex qua potissimum vis instrumenti, ac mota desuper quæstio pendet, maximèq; rei veritas deprehendi

 potest

(n) *l. Et quod dicimus.* ff. De *auth: Tutor. l. Interdum.* § *Qui furem.* ff. *De fur: l. Solemus.* § *Latrunculator.* ff. De *Judic l 4.* § *Si dicatur* ff. *Fini. reg. text: in l. Non solùm* § 1 ff. De *procurat. l. 1.* § *penult.* ff. De *sat. Tutor: Et Joan: de Imo. l. penult. in* § *Ad crimen.* ff. *de public: Judic.* (o) *gl. in l. Titio funaum.* ff. *de Condit: & demonstrat.* (p) *text. in c. 2.* De N. O. N. & *gl. in Can. Expedit.* 12. *q. 1. Angelus in l. Si bonæ fi ei.* ff. *De rei vendic.* (q) *text. in l. 1.* § *Qui rationibus.* ff. De *falsis. junct. gl. in l.* Damus. C. De eo, *per quem Bald in l. Titia.* ff *Ad muni in Rubr.* & *in l. fin. C. de fid. instrum. Et in Consil.* 330. *Quod incipit. Quidam* Notarius. *Speculator. ad c. Ad falsariorum. De crim. fals. & passim.* DD. *in c. fin. eod. tit.* (r) *c. Licet. junct. gl. Verb. Tenuem. De crim. fals. Et c. Cùm olim* De *privileg. & c. Inter dilectos* § *Sed contra.* De *fid. instrum. & c. Cum Venerabilis* De *religios. domib.* (s) *l. Presbyteri* C. De *Episc. & Cleric.* Clem. *Sæpe.* De *V. S. Bald. in l. Fa un* C. De *fur. in l. Præsumptionem* C. *Si contra jus vel utilit. public. Bartol. in l Quod si falsum.* ff. De *fals.* § 1. *in Auth.* De *instrum. fid. Joan. de Imo. consil.* 104. *gl. in* Can. Ne *quis.* 22. *q* 2. *Et in* Can. *In memoriam. dist.* 19.

poteſt, uti eſt: Indictio, tempus Datæ, ſive Annus Domini, & dies Mensis; item: nomen Actoris vel Rei, nomen loci, in quo factum eſt inſtrumentum, ac narratio juris, & alia (*t*) hujuſmodi. Alioquin: ſi raſura reperiatur in loco non ſubſtantiali, adeoq; non ſuſpecto, inſtrumentum à publico Notario confectum idcirco non redditur (*u*) vitioſum, ut *vg.* ſi ſit raſura in exordio, vel præfatione Notarii, ſive in narratione (*w*) Inſtrumenti. Pariter quoque non vitiatur inſtrumentum raſum, ſi raſura eſt modica, ſeu paucarum literarum, non mutantium ordinarium (*x*) ſenſum. Vel quando ex præcedentibus ac ſubſequentibus verbis ſatis appareat raſuram ſuſpectam non eſſe, nec aliter ſcribi (*y*) debuiſſe. Quænam autem raſura ſit modica, & quando ſenſus rectus percipi valeat? Judicis arbitrio relinquendum eſt, qui illud ex qualitate abraſionis, & contextu verborum dijudicare (*z*) debet. Deinde: non vitiatur inſtrumentum, quando ſcriptura abraſa in parte cæteroquin ſubſtantiali, ita bene reſcripta eſt, ut apertè cognoſcatur id manu ejuſdem Notarii factum (*a*) eſſe. Et quia nonnulli reperiuntur ſcientes adulterare, atq; exactè imitari aliorum ſcripturam, hinc ut talis ſcriptura, quæ in loco ſubſtantiali per ipſummet Notarium abraſa fuit, & ſuperinſcripta vel etiam cancellata, ab omni falſi præſumptione removeatur, expedit adhibere cautelam, etiam à conſvetudine receptam, ut nempe: Notarius in fine ſcripturæ & ante ſubſcriptionem inſtrumenti atq; appoſitionem ſigilli atteſtetur, qualiter ipſe abraſerit tale verbum, in tali linea, vel fecerit talem lineam in (*b*) margine, quia tunc raſura illa nihil oberit, cùm in tali caſu

ſu

(t) *Abbas in d. c. Ex literis num. 1. Rebuff. in prax. benefic.* § *Requiſita in Litteris collationum. num.* 33. (u) *gl. fin. in d. c.* Cùm *venerabilis.* et *gl. in l. Edicto* C. De *edicto* Div. *Adr. tol.* & *ibi Jaſon num:* 19. (w) *Maſcard.* De *probat. concl.* 1261. *num.* 9. (x) *Engel.* De *fid. inſtrum. num.* 15. (y) *gl. in d. c.* Cùm *Venerabilis. Jaſon ubi ſupra num:* 19. (z) *Menoch* De *arbitr. Judic caſ.* 187. *num.* 41 *Maſcard. ubi ſupra num.* 20. (a) *Jaſon. loc. cit. poſt gl. in d. l. Edicto, verb. Prima figura.* (b) *Abbas in d. c.* Cum *Venerabilis num.* 8.

ſu & diem habeat, & (c) teſtes. III. Peccat Notarius, ſi ad ſcribendum teſtamentum alienum vocatus, in tali teſtamento vel codicillo manu ſua ſibi hæreditatem, aut legatum adſcribat; alioquin enim non ſolùm privaretur tali legatô, ſed etiam incideret in pænam (*d*) falſi, ſiquidem hæc res, utpote fraudi obnoxia, jure prohibita (*e*) eſt, adeo; ut ſi Notarius hæc faciens, ignorantiam in eo prætendat, non (*f*) audiatur, ex quo in facto proprio non cadit (*g*) ignorantia. Quod ita tenet, ut Notarius condens alienum teſtamentum non ſolûm ſibi, ſed nec filiis ſuis quidpiam in tali teſtamento adſcribere (*h*) debeat, etiamſi legatum eſſet (*i*) inutile, quia in relictis filio, acquiritur uſus fructus (*k*) Patri, unde acquirendo filiis, videretur ſibi ipſi (*l*) acquirere. Imo: Notarius neq; Parentibus ſuis uſq; ad quartũ gradum ſecundùm jus civile computandum, quidpiam in alieno teſtamento adſcribere (*m*) debet. IV. Si ſubſtantiales clauſulas in inſtrumentis appoſuerit, & interrogatus earum vim ignoraverit, adeo, ut inſtrumentum in hoc errore confectum ſit nullum. *vg.* Si Notarius in inſtrumento alicujus mulieris aſſerat ipſam mulierem de Velleiano fuiſſe certioratam, & interrogatus, quid ſit Velleianum? reſpondere neſciverit, tunc inſtrumentum eſt ipſo jure (*n*) nullum; Sicut pariter: ſi teſtis deponat ſuper mutuo, & interrogatus, quid ſit mutuum? reſpondere ignorave-

(c) *Maſcard. loc. cit. num.* 17. *poſt Bartol. in l. Unum* C. De *teſtam. num.* 5. *Paulum de* Caſtro. Decium *& Aug. Berſum. in conſil* 1. *num.* 38. *volum.* 2. *Berel. volum.* 23. *num* 21. *Stryk. Juridic. diſſert volum.* 1. *diſput.* 6. *cap.* 3. *num.* 1 (d) *l* Divus Claudius § 1. *ff. ad l* Cornel. De *fals. & l. Quæ in teſtamento ac ſeq* C. De *his, qui ſibi adſcribunt in teſtam. Hoſtien. in ſumma tit. de fals. num* 5 *Jul.* Clar. *in pract. crimin* § *Falſum num.* 34. *Zoezius l.* 48. *ff. tit de l.* Cornel. De *fals. num* 17. (e) *Reifenſt.* De *fid. inſtrum.* § 1. *num.* 31. (f) *Cyn. in c. Ignorantia* De *R. I. lib.* 6. (g) *l.* 2. § *Servius autem Sulpitius ff de orig. Jur.* (h) *gl. in l. Impuberem. ff.* De *falſ.* (i) *l. in Legatũ. ff. Eo Bartol in d. l. Impuberem.* (k) *l.* Cùm *oportet.* C. De *bon. quæ lib.* (l) *Taſſara in* Compend. *in error.* Notarior. *cap.* 32. *num.* 3. (m) *Edictum Imperii Art.* 14. *Anno* 1611. *promulgatum* (n) *Alberic. in l. fin. in* § *penul. ff. ad Velleian.*

raverit ejus dictum non (*o*) valet. V. Si aliquod publicum instrumentum suâ & alterius manu conscribat, hinc talis scriptura falsi præsumptionem contra eum (*p*) inducit, quia quando scripturâ non concordat facta comparatione literarum, tunc introducitur suspicio (*q*) falsi. VI. Si usuraria, falsa, vel simulata instrumenta scripserit, adeo; ut hac ratione infamis efficiatur, nec possit amplius instrumenta (*r*) celebrare, quia per confectionem talis instrumenti, ex quo facit actum expressè a lege (*s*) reprobatum, præsumitur Notarius peccare in (*t*) Deum; jam vero qui peccat in Dominum, lædit animam (*u*) suam, quæ cunctis rebus est (*w*) anteponenda. VII. Si in portatione instrumentorum per se confectorum à longinquis partibus non portet literas testimoniales, quæ vulgò legalitatis appellantur, & sumuntur de potestate illius, in cujus ditione degit Notarius, & hoc, ad testandum illum fore fidelem & legalem, qui tale instrumentum celebravit, ne aliàs negatione fides & legalitas ipsius Notarii dubia (*x*) efficiatur. Cujus quidem legalitatis hæc ex praxi solet esse forma: Nos N. fidem facimus & impartimur, N. Notarium, qui hoc instrumentum inter N. & N. celebravit, incipiens sic: & finiens sic: esse fidelem & legalem. Quàm quidem legalitatem faciens, innuere videtur illud instrumentum se scire ab eo Notario factum, talis verò scientia non potest reddi (*y*) falsa. VIII. Si non commissa sibi in instrumento scripserit, quia unusquisq; actus, veritatis fundamentum habere (*z*) debet,

jam

(o) *Bartol. in l.* 1. *ff Si cert. pet.* (p) *Bal. in l.* Contractus C. De *fid. instrum. text. Secundum eum.* § *Quod sæpe Auth.* De *trien. & semis.* (q) *c. Inter dilectos. extra.* De *fid. instrum. l.* Comparationes C. *eod. c. Ad audientiam. De rescript. c. Licet.* § *Eos.* De *falsis. Bartol. in l. fin.* C. De *edict. Divi Adr. toll.* (r) *Hostien. tit. De usur.* § *fin. verb. Quid de Notario. Ludovic. Roma in singulari suo* 380. (s) *l.* Cum *quis. ff. De solution. l. Ejus, qui ff. Si cert. pet.* (t) *Innocent. in c. Super his.* De *vot. & vot. redempt. Joannes de Imo. c.* 1. *de usur. lib.* 6. (u) *Prov.* 10 (w) *l. Sancimus.* C. De *Sacrosanctis Eccles.* (x) *Bartol in l.* Non *solum* § *Qui aliena ff.* De *Procur.* (y) *l.* 3. § *Si dubitetur ff. Quemad. testam. aper. l. Sed si diversa. ff.* De *acquir. hæred.* (z) *l.* Nemo C. *de sen. c.* 1. *De Constit.*

jam autem Notarius non commissa scribens, infringit (*a*) veritatem, & frangendo veritatem, Christum (*b*) negat. Præterea: quilibet debet facere acta secundùm regulam artis (*c*) suæ, regula autem Notariorum cùm sit: scribere id, quod à partibus diligenter (*d*) audiverunt, hinc propriâ conscientiâ nil facere possunt, aliàs: injuriam legi (*e*) inferrent. IX. Si posuerit clausulas non legibiles vel non (*f*) intelligibiles, quia in instrumentis non est apponendum aliquod verbum (*g*) obscuritatem adducens, cùm unusquisq; actus debet fieri verbis aptîs & (*h*) habilibûs, ex quo obscuritas in instrumentis (*i*) reprobatur. Iam autem dubium in instrumentis dupliciter esse potest, primò quò ad literam, & appellatur obscuritas; secundò, quò ad intellectum, & est (*k*) ambiguitas. X. Si proprium sigillum, quod est de substantia instrumentorum, (*l*) mutet, quia mutando signum, veritatem ipsam occultare (*m*) videtur, hinc taliter facientes falsum committunt & mortaliter (*n*) peccant. Quod committens Notarius potiùs præsumitur

(a) c. *Si Christus* De *jure injur.* Can. Nemo. 11. q. 4. c. *Nihil.* De *præsumpt.* & c. *Qui scandalizaverit.* De R. I. (b) Can. 1. & Can. *Consvetudo.* *dist.* 8. (c) *Bald.* in l. *Hac lege.* De *sent.* ex *per.* (d) § *penult.* in *Auth.* De *tabellion.* (e) l. *Eadem.* ff. De *Serv.* § *Oportet.* in *Auth.* De *Jud.* *revend.* (f) *text* in l. 1. De *excusat.* *Tutor.* *Bald.* in c. *Consvetudinis.* *extr.* De *consvet.* (g) *text.* in l. 1. C. De *sent.* & *interloc.* *omn.* *Judic.* (h) *gl.* in § *Sed hæc solemnia.* *Instit.* De *V. O.* l. *penult.* § *Qui autem.* & § *fin.* ac l. *seq.* De *constit.* l. *ut gradatim.* § *sed si* ff. De *muner.* & *honor.* Can. *Erit autem.* *dist.* 25. (i) l. *Si legatariu.* § *fin.* ff. De *fideicom.* *libert.* l. *Ita fidei.* ff. De *Jure fisci.* c. *Erit autem lex.* & c. *fin.* De *constit.* (k) *Joan.* *Andr.* in c. *Quoniam dubietas.* De *constit.* (l) *Bald.* in l. 1. C. De *Nov. cod.* *comp.* in l. *Bonæ fidei* C. De *reb.* *re.* l. *Distrahentes,* C. De *reb.* *Eccl.* *non alienan.* l. *Stigmata.* C. De *fabr.* § *Item aliena* *Instit.* de *testam.* l. *Paulus.* l. *Qui testamentum.* l. *Si falsum.* de *fals.* l. *fin.* C. De *Assessor.* § *Oportet* in *Auth.* De *fid.* *instrum.* *Bartol.* in *proœm.* ff. *Jac.* de *Arena* in l. *Ad testium.* in § *Si quis* ff. De *testam.* (m) *arg.* *gl.* *Peregrinæ* in l. 1. C. De *usur.* (n) Can. *Hoc falsum.* Can. *His autem.* 22. q. 2. *Antonius de But.* in C. 1. De *test.* in c. *Cum dilectus.* de *Accusat.* *gl.* in Can. *Ne quis* 20. q. 2. In Can. *Si quis metu.* 11. q. 3. in l. *Præscriptio.* C. *Si contra jus.*

tur idfecisse ex malitia, quàm ex errore, quia talis error non est (o) tolerabilis. XI. Si in renuntiationibus ad aliquos contractus de essentia requisitis generales duntaxat clausulas apposuerit, quia in tali casu ad hoc, ut contractus aliquid operetur, clausulæ specificæ expressè poni (p) debent, nam renuntiatio in genere facta, videtur esse inconsultè (q) facta, ex quo ea, quæ speciali notâ digna sunt, quantumcunq; in genere exprimantur, videntur (r) neglecta. XII. Si verbosa instrumenta confecerit, quia qui effuso sermone utitur, in promptum periculum (s) incidit, & ideo brevitas in instrumentis semper commendatur, nam virtus consistit in paucis, & nil immensum, est (t) bonum. Dummodò ex brevitate obscuritas non (u) inducatur. XII. Si in instrumentis verba superflua & impertinentia apposuerit, quo casu si quid contra naturam actûs vel contractûs geritur, actus vel contractus (w) vitiatur, quia ab omni instrumento superfluitas rejici (x) debet. XIV. Si, dum in aliquo necdum intervenit pecuniæ numeratio, ille verò jam numeratam pecuniam scripserit, quod faciens pænam falsi (y) incurrit; quia dicendo pretium numeratum, videtur

(o) *l. Igitur.* § *Potest. De lib. caus. l. Plagii.* C. *ad l. Jul.* De *Plagiis. l.* 1. *ff.* De *Abig. Barbatius consil.* 77. *volum.* 4. (p) *gl. in l.* Decurionibus C. De *silent. Bald. in l.* Non *plures.* C. De *Sacros. Eccles. In Auth. Habita.* C. Ne *fil. pro Patr. in c.* 1. De *rescript. Roman. in l. Hac consultissima.* C. *Qui testam. fac. pos.* (q) *arg. l.* Divortium. C. De *prælud. l. Titio.* C. De *legib. l.* Cum *Aquilaria. ff.* De *transact. l. Tres Fratres. l. Emptor.* § *Lucius ff.* De *pact: l In lege. ff.* De *contrah. empt.* (r) *l. Item apud* § *Hoc edictum. ff.* De *injur. l. Ligni.* § *Offilius. ff.* De *legib. l. Eos* C. De *aquæ ductu l.* Carbonum. *ff.* De *V. S.* (s) *l. fin. in fin.* C. De *dot. prompt.* (t) *Auth.* De *min. ord. in princ. l. fin.* § 1, C. De *Appellat. l. fin.* C. De *donat. l.* 1. *in princ. ff.* De *Offic. Præfect. Prætor. c. Quia in tantum. extr.* De *Præbend. l.* Competiturus. C. De *prox. Sacr.* (u) *Bald. in d. l. fin.* C. De *Appellat.* (w) *l. Actus. ff.* De *R. I. l. Græcè.* § *Illud.* § *Si Stichum. ff.* De *fidejus.* Decius. *in l. Quæ dubitationis ff.* De *R. I.* (x) *Bald. in l. Gallus* § 1 *ff.* De *lib. & posth. Et in l.* 1. *ff. Quod met. caus.* (y) *gl. in l. Si ex cautione* C. De *non numerata pecunia.* DD. *in l. Si ex pretio* C. *Si cert. pet.*

detur confiteri vidiſſe illud (z) numerari. Hinc licèt ſi pecunia tradita in ſacculo dicatur eſſe numerata, attamen Notarius cautus eſſe debet, ut ipſam numerari [a) videat. Nec ab hoc poterit Notarius excuſari, ſi ante contractum pecunia fuerit perſoluta, quia verba contractûs intelliguntur ſecundùm tempus, quo fuit (b) celebratus. XV. Si cùm inſtrumentum fuerit celebratum per aliquot dies, diem non conclusionis ſed initii in inſtrumento (c) apposuerit, quia in inſtrumentis ſola concluſio eſt (d) inſpicienda, nam talis eſt actus, qualis eſt (e) concluſio. Quod à Notario maximè obſervandum eſt, ut in inſtrumento per aliquot dies celebrato, diem concluſionis inſtrumenti, non autem diem initii ejus apponat, ex quo: appoſitio temporis in inſtrumento multùm (f) operatur. Aliàs: apponendo diem initii inſtrumenti, materiam falſi fabricandi præberet, quod eſſe non (g) debet, nam per hoc poſſet alicui facultas agendi vel ſe defendendi tolli, quod non eſt (h) per-

D missum

(z) *gl. in l. fin. & ibi Bald. ff. De condition: ex lege.* (a) *Bald: in conſil.* 213. *volum:* 3. *allegans l. Adhuc intereſſe. ff. De uſur. & in Rubr: C. De fid. inſtrum: in l.* 1. *C. De conſtit. Et in conſil:* 278. *volum.* 2. *in l. Si abſentis. ff. Si cert. pet. Angel: Imol. ac Paul: de Caſt. in l. Prædia. ff. de acquir. poſſeſſ.* (b) *l. Si ita ſtipulatus. § Chryſogonus. ff. De verb: oblig: l. Poſt dotem: ff. Soluto Matrimonio.* (c) *Bald. in l.* Contractus. *De fid: inſtrum: text. in l. Si voluntate. C. De reſcind: vendit.* (d) *Innoc: in c. Super literis. De reſcrip: Bald. in Commento. l. Præſcriptione.* C. *Si contra jus vel utilit. public.* (e) *c. Ex parte. De reſcrip. c. Senes. De teſtib: c. Licèt cauſam. De probat: c.* 2. *De Ord: cogn. c. Ex parte. De for: comp. Bald: in l. Edicta.* C. *De edendo. in l. Domum. C. De rei vendic: in l. Qui ſtipendia. C. De Procurat. in l.* Certi *conditio. ff. Si cert: pet: in l.* Cùm *ultra.* C. *De non numerata pecun: Bartol. in l. Aurelius. ff. De lib. & poſth: Joan: de Ligna. in c. Examinata. De Judic. Joan: Andr: in c. Cùm Eccleſia. De caus. poſſeſ.* (f) *l. Optimam. C.* De *contrah: & comm: ſtipu. l: Pantonius. § Rei perdullionis. ff. De acquir: hæred. gl. in l. Si ex pluribus. ff. De ſolut. l. Matrem. C. De probat: l. Eum actum ff. De negot: geſt. l. Non ſolum. ff.* De N. O. N. Clem: *Literas.* De *reſcript: c. Cùm Apoſtolica. De his, quæ fiunt à Prælatis. c.* Cum *ſit generale.* De *for: comp.* (g) l. Convenire. *ff. De pact:* Dominic. *de Rota decis:* 390. (h) Clem: *Paſtoralis. De re judic. Clem. fin.* De *reſcript. l. Scientia. § Qui cùm aliter. ff. Ad l. Aquiliam.*

missum. Reliquos errores, quos publicus Notarius in conficiendis instrumentis committere potest, videre licèt apud DD.

COROLLARIUM III.

Quatuor modîs possunt Notarii in instrumentis à se confectis committere (*i*) falsum. I. Dum timore potestatis alicujus veritatem scribere pertimescunt. II. Dum præmii desideriô hoc faciunt. III. Dum odiô volunt contra aliquem suum adversarium moliri. IV. Dum amore auxilium amico vel propinquo præstare contendunt. Quod falsum in instrumentis committendum summè evitare debent, tum quia; talia committentes judicium Christi pervertunt, Qui est veritas & Vita, ac fructum Illius vertunt in damnationis (*k*) amaritudinem; tum quia; propter hoc falsitatis crimen puniri & condemnari [*l*] debent, imò a publico Notariatûs Officio removendi (*m*) sunt; non potest enim quis exercere Officium, in quo semel (*n*) deliquit, hinc confecta ab iis post suam de falso condemnationem instrumenta nullum robur, nullumq; valorem (*o*) habent; quia ex quo damnatus est Author falsitatis, opera quoq; ejus, veluti falsarii, nequeunt amplius facere fidem, nam qualis est author, talia præsumuntur esse opera (*p*) ejus. Porro: instrumentum ante condemnationem Notarii confectum, si habeat plura capitula, in quorum uno ex persona Notarii sit admixta falsitas circa substantialia negotii, ob quam postea Notarius ille damnatur & deponitur, probabiliùs reprobatur [*q*) in totum. Falsitas verò in substantialibus negotii admitti potest, si *vg.* Notarius falsò scribat contractum fuisse celebratum circa unam rem *vg* equum, qui fuit factus circa aliam rem *vg* bovem; nam error seu falsitas circa substantiam rei procul dubio est substantialis.

Idemq;

(i) *Can: Quatuor.* 11. *q.* 3. (k) *Can: Quicunq;* & Cân: *Væ qui.* 11. *q.* 3. (l) *Tassara ubi supra cap:* 27. *num:* 2. (m) *l. Si aliquid.* C. *De susceptor.* (n) *Bartol. in summar.* (o) *Innocen: in c. Fraternitatis* De: *Hæretic: Abbas ibid: num:* 3. *Bartol: in l. Barbarius.* § *Quid de Notario ff. De Offic. Prætor. Speculator. De instrum. edit.* § *Restat videre num:* 35. *Pirhing: tit:* De *fid. instrum. num:* 14. (p) *gl: in d. c. Fraternitatis.* (q) *Abbas in d. c. Fraternitatis Bartol. in l. Si ex falsis.* § *Adverte tamen.* C. De *transact:*

Idemq; fieret, si *vg* Notarius scriberet Titium debere Cajo 20. cùm scribendum fuisset 10. quia summa, ideft quantitas, est pars stipulationis, seu instrumenti, in quo continetur stipulatio, ac proinde est quid (*r*) substantiale. Secùs dicendum est, quando falsitas contingit circa aliquid extrinsecum & accidentale, *vg* quia Notarius scripsit contrahentes esse talis nationis, seu consangvineos, affines, aut quid aliud, quod non facit ad negotium, etsi enim istud est falsum, non tamen ideo vitiatur totum instrumentum, quia nihil facit ad contractum *vg* venditionis, permutationis &c. unde sint contrahentes, vel an consangvinei existant (*s*) nec ne? Pæna verò Notarii scribentis falsum testamentum, vel instrumentum; est pæna deportationis, vel alia arbitraria, vel etiam amputationis manûs, quando agitur de magna falsitate, & pluries (*t*) reiterata. Imo: si id exigat facti circumstantia, poterit extendi etiam usq; ad (*u*) mortem; & ultra pænam criminalem tenebitur Notarius ad damna, & [*w*] interesse. Hâc pænâ punitur etiam exemplans copiam diversam ab (*x*) originali.

COROLLARIUM IV.

SIcut Notarius actum conficere non potest, nisi rogatus, juxta superiùs dicta, ita si rogatus actum celebrare noluerit, nullâ justi impedimenti causâ existente, perjurus (*y*) esse dicitur, quia ejus Officium est publicum, & per consequens: nemini (*z*) denegandum; ac perjurando efficitur (*a*) infamis, & ideo poterit ab Officio Notariatûs removeri. Si autem Notarius justè impeditus rogationes instrumentorum negaverit, liberabitur à perjurio, quia

 non

(r) *l.* 1. § *Edictiones. junct gl. Verb: Summa ff.* De *edend:* (s) *arg: c.* Cùm *deputati. De Judic. Innocen. & Joan: Andr. in d. c. Fraternitatis. num:* 1. *Abbas ibid. num:* 4. (t) *Farinac. qu.* 155. *num:* 11. (u) *text: in l. Ubi falsi* C. *Ad l.* Cornel: *De falsar:* (w) *Farnic ubi supra.* (x) *l. Quod sit d: ff. Ad l. Cornel: De Falsar.* (y) *text. in* § *Sed neq; quæstus. in Auth:* De *Tabellion.* (z) *l.* 2. *ff. Rem: pup: salv: for:* § *Cùm autem. Instit: De adopt: l.* 2. *C: Eo l. Orphanotrophos. C. De Episc: & Cleric:* (a) *Cam: Infames.* 6. *qu. l.* 1. *Can. Si quis convictus.* 2. *qu.* 5. *l. Si quis major.* C. De *transact.*

non dicitur pejerare ille, qui ex justa causa deserit (b) juramentum. Præterea: jura subveniunt necessitate (c) impeditis. Porro si nulla legali ratione habita rogationes recusaverit Notarius, magis aggravabit, ex quo; multiplicitas delicti magis gravat ipsum (d) delinquentem.

COROLLARIUM V.

Certum est, quòd Notarii publici si semel ex falsi crimine vel alia justa ratione Notariatûs officiô privati fuerint, non poterunt ampliùs ad hocce officium (e) aspirare, quia actui privativo non potest aliquô pactô (f) præjudicari. Præterea: licet si præsumatur pro publico Notario, quòd fideliter Officium suum exercuerit, donec contrarium concludenter (g) probetur; tamen: si vg falsitatem vel alium errorem, ob quem Officiô suô privari deberet, in confecto à se instrumento in præteritum commiserit, adhuc stabit præsumptio, quod hoc idem in futurum committet, quia de præteritis sumitur argumentum in (h) futurum. Et hoc adeo verum est, ut etiam si pristinæ famæ restitutus fuerit, non poterit

ampli

(b) l fin: ff. Qui satisdare cogantur. l. Si hominem. ff. Mandati: Can: Si nulla 23. qu. 8. Can. Presbytero. dist: 50. Can: Sicut. dist: 1 De consecr: c; Significante. De pignor: c. Si quis. De furt: Decius in Rubr: C Qui admitt. (c) l Non est ff. Ex quib: caus: major. l. Cùm in plures. § Vestimenta ff. Locati. l. 2. § 2. ff. Si quis caut. (d) l. 3. C. De Episc. aud. l. Capitolium. § Grassatores. & § Famosos. ff. De pœnis Bald: in Auth: Sed novo. C. De serv: fugit. in l. Apud antiquos. C. De furt: Bartol: in l. Si cui § Sacrilegium. ff. De injur: (e) l. Si aliquid. junct: gl: C. De suscept: l. Præclara. C. De prim: § fin: Auth: De Armis. Bald: in l. Nihil. C. De manu. vind. (f) gl. in c. fin: De Jure Patron: in c. Cùm Nos. De Offic: Ordin: l. Cùm non solum. § penult. C. De bonis, quæ lib: c. Clericis c. Latores. De sent: excomm: Bald: in l. Servis. in l. Nec operis. C. De pœnis. Angelus in l. Si quis hæredem. C. De instit. & subtit. Auth: Relictum C. De evict: Div: Adr: toll: l. Alia. C. De his. quib. ut indig. l. fin: ff. Ad Syllan: l. 2. § Pervenisse. ff. De hæred: (g) Ad audiendum. De præsumpt: junct: gl. vers: Juratus. Sperellus decis: 27. num 7. (h) Bartol: in l. Celsus ff De usucap. c. Semel De R. I. in 6 c Qui fortè. De elect: in 6. l. Si cui § Eidem. ff. De accusat: c. Olim. De restit: spolia. Abbas in c. Accedentibus. De privileg: Ant: in c. Ex parte De rescript: in c. Ad ædem. De restit: spoliat.

amplius ad tale officium creari. Sicut in simili videmus, quod dum aliquis de Christiano hæreticus est effectus, etsi pristinæ famæ per reditum ad veram Ecclesiam restituatur, non potest (*i*) rebaptizari. Ita pariter: ob delictum primò Officiò suò privatus Notarius, etsi denuò restitutus per omnia pristinum gradum consequatur quantum ad pœnam, secùs tamen in his, in quibus infertur præjudicium (*k*) tertio. In nostro verò casu cùm tractetur de utilitate publica, quia ex Notarii delicto pars aliqua detrimentum pati (*l*) potest, ideo restitutio famæ debet intelligi (*m*) excepta.

CONCLUSIO IV.

NOtario publico & jurato, tam Ecclesiastico, quàm Laico in omnibus debet adhiberi fides.

COROLLARIVM I.

SIcut instrumento à Notario publico cum omnibus solemnitatibus, ac sine ullo errore confecto plena fides ubivis dari debet, ita quoq; in defectu instrumenti protocollo ejus plenariè (*n*) creditur. Quia cùm persona Notarii sit electa ad fidem publicam publicè faciendam, & in susceptione illius muneris juraverit, ideo instrumentum ab eo confectum de eo, quod dispositivê continet, meretur fidem. Præterea: instrumentis ex protocollo extractis habetur publica fides, & perpetua (*o*) firmitas; hinc multò magis ipsi protocollo credi debet. Quod adeò verum est, ut in dubio ma-

(i) Can: *Cùm ostendimus dist:* 4 *De consecr.* (k) *l. Generaliter, l. Cum ex indulgentia. C. De sent: pass: l. fin: C. De gener. abol.* § *Sed si ex indulgentia Instit: Quib. mod: jus patron: pot. sol. l.* 1. § *Merito* § *Si quis à Princ: ff. Ne quid in loc: public* (l) *Tassara ubi supra cap:* 49. *num:* 4. (m) *l. Si quis in grav:* § *Si quoq; ff. Ad Syllan:* (n) *l. Argentarius junct: gl vers: Absimiles. ff. De edend: Speculator. De instrum: edit.* § *Videndum. num:* 4 *Abbas in c. Cum. num:* 4. *Felinus ibid. num:* 1. *Mascard: Concl* 4 *num:* 1. *De probat post Bartol: in Rubr: C. De fid: instrum: concl:* 1250. *num* 2. & 26. *Pirhing. De fid: instrum: num:* 16. *Barbos. in c* 2 & 15. *De fid: instrum: Haunold De I. &* I. *tom:* 5. *tract:* 4. *num:* 374 & *seq* (o) *c. penult. De fid: instrum.*

magis sit standum protocollo, quam instrumento inde (p) desumpto. Hinc si contrarietur protocollo instrumentum, potiùs standum est protocollo, tanquam priori & continenti primam actûs sive contractûs conceptionem, & quia ex eo trahitur instrumentum, & illud secundùm formam illius (q) expediri debet. Porro: protocollum ùt fidem ac plenam vim probandi habeat, ea omnia habere debet, quæ debent intervenire in publico instrumento ad effectum plenæ probationis, nempe: debet esse in illo subscriptio Notarii, signum ipsius, rogatus, seu petitio partium, expressio loci, temporis, personarum, celebrati actûs, seu (r) contractûs.

COROLLARIUM II.

TRansumptum seu copia instrumenti publici per publicum Notarium traducta tunc meretur fidem, quando ad solemnem traditionem copiæ ex originali instrumento adsunt necessaria requisita, qualia sunt. I. Si interveniat justa causa, Justæ autem causæ hujus exemplationis sunt, *vg* si ex loco, in quo asservatur, instrumentum extrahi non possit, vel sine periculo amissionis ad locum remotum mitti, aut in judicio produci sine periculo, ne in via intercipiatur, vel malitiâ Adversarii supprimatur, vel quia expedit plura de eodem actu haberi exemplaria ejusdem instrumenti, vel si propter vetustatem exemplari (s) debeat. II. Debet exemplatio illa fieri authoritate Judicis Ordinarii vel delegati. III. Debet ea fieri ad petitionem partium, vel saltim alterius partis. IV. Ad solemnem exemplationem requiritur citatio eorum, quorum (t) interest. His vero solemnitatibûs prætermissîs transumptum à Notario confectum non habet fidem, quia quamvis illud per

(p) *Abbas in c. Tum ex literis. De in integr: restit. num:* 8. *Bartol: in l. Sempronius ff. De legat: Alexander concl:* 105. *num:* 1. *volum.* 2. *Menoch. De Arbitrar. Judic. lib:* 3. *cas:* 87. *num:* 21. *Mascara: De probat: concl:* 1250. *num:* 2. (q) *Zoezius De fid: instrum: num:* 6. (r) *Alex: consil:* 153. *num:* 12. *volum.* 2. *Honcedæus consult:* 66 *num:* 95. *volum:* 1. *post Decium. consil:* 447: *num:* 5. *Angel. consil:* 220. (s) *c. ult: De fid: instrum: & c. Cum dilecta. De confirmat: util.* (t) *c: Significavit. De test: & Covarruv: practic: quæst. cap.* 12, *num:* 4.

per manum publici Notarii ſit exemplatum, non tamen probat ipſum factum, cùm Notarius tantùm faciat fidem ſuper tranſumpto ad teſtandum, copiam eſſe collationatam, & per omnia concordare cum originali, non autem facit fidem de ipſo facto, quia non teſtatur ſe vidiſſe factum, nec de ipſo potuit eſſe (u) rogatus. Nihilominus prædictæ ſolemnitates non requiruntur I. quando in Literis Pontificiis, ut ſæpiùs fit, habetur infra hujusmodi clauſula *Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillô alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent oſtenſæ vel exhibitæ.* Nam tunc ſufficit talia obſervari, ne clauſula hujusmodi ſit ſuperflua, ſed aliquid (w) operetur. II. Quando exemplar fuit ſumptum, ſeu ſcriptum manu ejuſmet Notarii, qui inſtrumentum originale confecit, tum quia idem Notarius eſt Actor utriusq; ſcripturæ, hinc eadem fides debet adhiberi utriq;, tum quia talis ſufficienter eſt inſtructus de toto negotio, utpote coram ſe geſto, ac proinde tale tranſumptum probat ita; ac ipſum (x) originale. III. Quando contraria conſvetudo aliter (y) fert. IV Quando omiſſio ſolemnitatum fit de conſenſu partium, poteſt enim exemplatio inſtrumenti originalis fieri a ſolo Notario abſq; authoritate Judicis, ſi partes ad hoc conſenſerint, ita tamen, ut talis Exemplatio ipſis duntaxat, eorumq; ſucceſſoribus (z) præjudicet.

COROLLARIUM III.

HÆc fides, quam inſtrumentis à Notario publico ſolemniter confectis dare debemus, extenditur etiam ad ſcripturas privatas, quæ efficiuntur legitimæ quando cum debitis ſolemnitatibus à publico Notario ſunt ſubſcriptæ & ſigillatæ, quia tunc accipiunt autho-

(u) *Thomas Smitz De fid: inſtrum: q.* 2. (w) *Reifenſt. De fid: inſtrum:* § *De fid: protocoll: & exemplar. num:* 65. (x) *Bartol. in Auth: Si quis in aliquo.* § *Quæro utrum exemplum. circ: fin: C. De edend. Covarruv: ubi ſupr. Cap:* 21. *num:* 2. *vers: quod ſi fiat. Maſcard: concl:* 712. *num:* 35. (y) *Pirhing. De fid: inſtrum: num:* 22. (z) *Covarruv. ubi ſupra num:* 5. *ver: Poterit tamen poſt Bartol: in de Auth: Si quis in aliquo.*

authoritatem ab ejusdem manu (*a*) publica. Secùs dicendum: si Notarius aliquam scripturam confecit, aut subscripsit, non ùt Notarius, seu Persona publica, sed ùt aliquis alius privatus, quia tunc scriptura illa non acquirit majorem firmitatem, quàm à subscriptione alicujus (*b*) privati.

COROLLARIVM IV.

NOtario publico tanta fides datur, ut etiam stetur illius testimonio, licèt singulari de gestis à se ipso, ut sui attestetur aliquid à se [*c*) rescriptum, adeo; ut instrumenta publica, quæ magna illa præsumptione Notarii publici attestantis de rebus à se visis, vel coram se gestis juvantur, vera credantur, probationemq; probatam (*d*) faciant. Præterea: non credendum est ipsum Notarium, cùm juraverit Officium suum fideliter exequi, aliud scripsisse (*e*) quam diceretur; hoc tamen intelligendum, donec contrarium (*f*) probetur.

COROLLARIVM V.

FOrma conficiendi instrumenti ordinaria de jure præscripta est hæc: Instrumentum incipit sic: *In Nomine Domini, Amen. Præsenti publicô instrumentô cunctis pateat evidenter, & sit notum. Quomodo Anno à Nativitate Domini Nostri JESU CHRISTI N. Indictione Romana N. Pontificatûs autem N. vel Imperii N. feliciter Moderni, Anno ipsius N. die N. Mensis N. in mei Notarii publici infra scripti testiumq; infra nominatorum ad id specialiter rogatorum & adhibitorum præsentia constitutus personaliter NN.* Hic inseratur ipse actus, de quo instrumentum confici debet. Ad finem instrumenti scribitur sic: *Super omnibus præmissis petitum à me Notario infra scripto unum vel plura confici & sibi extradi instrumentum sive instrumenta. Acta sunt hæc N. Annô Indictione. Pontificatu, vel Imperio, die. Mense, quibus supra*

Præ-

(a) *De fid: instrum:* (b) *Bald: in d. c.* 2. *num:* 5. *vers: Sed pone.* Felinus *ibid: num:* 4. *Jordanus tom:* 3. *De fid instrum: num:* 6. *Mascard:* Concl: 109 Num: 2. (c) *Menoch. De Judic: arbitr: lib:* 2. *Cas:* 92. *num:* 3. *Mascard. De probat: concl:* 102. *num:* 1. (d) *Bartol: in l.* 1. *In principio. num:* 8. *Et Jason: ibid: num:* 50. *ff. De N. O. N. Menoch. De recuper: posses. remed: l. num:* 1. 244. (e) *c. Ad audientiam De præscript:* (f) *Reifenst: tit: De test:* § 8. *num:* 275.

Præsentibus NN. testibus ad præmissa rogatis, vocatis & adhibitis. Si Notarius tale instrumentum ex protocollo suo extradit, hæc in fine addere debet. *Et quia ego N. olim N.* hic ponatur Nomen Patris, *Publicus authoritate N. Notarius, actui N. sic, ùt præmissum est, facto cum prænominatis testibus præsens & personaliter interfui, eundemq; ad Acta Notariatûs mei suscepi, ideo præsens publicum instrumentum* (si sit aliena manu scriptum, addat, secus si sua) *manu licèt aliena, mihi tamen bene nota & fida scriptum, signoq; Nomine & Cognomine meis solitis communitum extradidi, manuq; mea propria subscripsi rogatus & requisitus. Idem qui supra.* Formâ vero quâ Notarius fidem alicui instrumento debere dari testatur, seu (ùt dicitur) forma legalisationis transumptorum est hæc. *Et quia ego NN. olim N. publicus authoritate N. Diæcesis N. Notarius præinserti documenti originale authenticum vidi, legi, ac in manibus habui, præinsertum documentum cum eodem suo originali verificavi, ac de verbo ad verbum concordare adinveni, ideo ut eidem documento plena fides, tanquam originali adhibeatur, idem documentum licèt quidem manu aliena, mihi tamen bene nota & fida scriptum, manu mea propria subscripsi, signoq; Nomine & Cognomine meis solitis quibus in talibus utor communivi, rogatus & requisitus. Idem qui supra.*

Hinc Illi

Qui Nomina Nostra habet scripta in Cælis. *Luc: 10. v. 20.*
Laus, Honor, & Gloria.

P E R M I S S U
M A G N I F I C I D O M I N I
R E C T O R I S.